

Paulus ibid. Sent. ibid. Polyc. 1. 6. Anf. 1. 10. Burch. 1. 9. Ivo, p. 8. c. 168. Pann. 1. 6. c. 92. GRATIAN. 7. Pars. Uterque ex præmissis colligitur, non licet huic, dimissa uxore aliam ducere. Manet enim inter eos quoddam vinculum conjugale, quod nec ipsa separatione dissolvitur. Unde ait

XXVII. AUGUSTINUS in lib. de Bono Conjugali, c. 7. [fortè an. 401. in Africa.] Sterilem uxorem dimittere, & causâ fecunditatis aliam ducere alicui non licet.

Ivo, p. 8. c. 254. Pann. 1. 6. c. 28. & 105. Tantum valet illud sociale vinculum conjugum, ut cum causâ procreandi colligatur, nec ipsa causâ procreandi solvatur. Postet enim homo dimittere sterilem uxorem, & aliam ducere, de qua filios habeat: & tamen non licet. Item c. 15. §. 1. Manet vinculum Nuptiarum, etiam proles, cujus causâ initum est, manifesta sterilitate non subsequatur: ita, ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsâ causâ filiorum, atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint; cum eis, quibus se copulaverint, adulterium committunt: ipsi autem conjuges manent. Planè uxoris voluntate adhibere aliam, unde communes filii nascantur unius committione, ac femine, alterius autem iure, ac potestate, apud antiquos Patres fas erat. Utrum & nunc fas sit, temere non dixerim.

XXVIII. IDEM lib. 1. de Nuptiis, & Concupiscentia, c. 10. [fortè an. 419. ibid.] De eodem.

Uterque adeo manent inter viventes semel inita iura Nuptiarum, ut potius sint inter se conjuges, qui ab alterutro separati sunt, quam cum his, quibus aliis adhaerent. Et paulo post a. §. 1. Manet inter viventes quoddam vinculum conjugale: quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum fœderis: sicut apostata anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perditâ Sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accipit. Redderetur enim procedubio redeunt, si amittisset abcedens. Habet autem hoc, qui recessit, ad cumulum supplicii, non ad meritum præmii. CORR. ROM. a. Et paulo post. Apud B. Augustinum hic interjicitur c. denique, supra xxxi. q. 1. Addita verò nonnulla sunt, & emendata in hoc Capite ex ipso originali, quemadmodum & in precedenti.

AN INFIDELIEM SUB PRÆMISSA CONDITIONE LICEAT ALCUI FIDELIUM IN CONJUGEM DUCERE.

QUÆSTIO VIII.

GRATIAN. 7. Pars. CUM itaque probatum sit, quod hic uxorem suam dimittere, & aliam ducere non potest; queritur, si liceat ei hac conditione peccare, ut infidelis ad fidem adducat. Quod non posse fieri affirmat ita dicens

I. AUGUSTINUS in lib. 1. de Adulterinis Conjugiis, c. 24. [c. an. 419. in Africa.] Non debet aliquis a continentia voto recedere, etiam si infidelis Christianam se fieri pollicetur.

Ivo, p. 8. c. 73. Non solum a continentia voto recedere, (quod facit non quidam, sed omnis, qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, etiam propterea duxerit, ut faciat Christianam:) sed etiam quilibet non alligatus uxori continentiam Deo voverit; nullo modo debet ista compensatione peccare, ut ideò credat uxorem sibi esse ducendam, quia promissit, quæ Nuptias ejus appetit, futuram se esse Christianam. Quod enim cuiquam, antequam novisset, licebat, cum id se nunquam facturum voverit; non licebit: si tamen id voverit, quod vovendum fuit, sicuti est perpetua virginitas, vel post a experta connubia solutis à vinculo conjugali, vidualis castitas, seu ex consensu voventibus, & carnalia debita sibi invicem relaxantibus fidelibus, castitque conjugibus (quod alterum sine altera, vel alteram sine altero vovere fas non est) jugis continentia. Hac ergo, & si qua alia sunt, quæ rectissime voverunt, cum homines voverint; nulla conditione rumpenda sunt, quæ sine ulla conditione voverunt. CORR. ROM. a. Vel post. Hic locus in vulgatis B. Augustini codicibus, & etiam apud Ivonem usque ad vers. Hac ergo, paulo aliter habet.

CAUSA XXXIII.

GRATIAN. 7. Pars. QUIDAM vir maleficiis impeditus, uxori suæ debitum reddere non poterat. Alius interim clamculo eam corripuit: à viro suo separata, corruptori suo publice nubit; crimen, quod admiserat, corde tantum Deo confitetur: reddi-

tur huic facultas cognoscendi eam: repetit uxorem suam: quæ recepta, ut expeditus orationi vacaret, & ad carnes Agni purius accedere, continentiam se servaturum promittit: uxorem verò contentum non adhibuit. I. Hic primum queritur, an propter impossibilitatem coeundi, à viro suo aliqua sit separanda. II. Secundò, an post separationem ei nubere valeat, cum quo prius fornicata est. III. Tertio, si sola confessione cordis crimen possit deleri. IV. Quarto, si tempore orationis quis valeat reddere conjugii debitum. V. Quintò, an vir sine consensu uxoris continentiam vovere possit, vel si minis, vel terroribus licentiam vovendi ab ea extorquere valeat.

AN PROPTER IMPOSSIBILITATEM COEUNDI, A VIRO SUO ALIQUA SIT SEPARANDA.

QUÆSTIO I.

Quòd autem propter impossibilitatem reddendi debitum mulier à viro suo separari non possit, autoritate Evangelica, & Apostolica probatur. Sic enim Christus ait in Evangelio: Nulli licet dimittere uxorem suam, nisi causâ fornicationis: vel quòd alter eorum, sicut Augustinus exponit, fornicatus fuerit, vel ad quem alter alterum pertrahere voluerit. Item Apostolus: Mulier, quanto tempore vivit vir ejus, alligata est legi ipsius: non legi sibi reddendi debitum: sed non transferendi se ad alium. Item: His, qui matrimonio juncti sunt, præceptum, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non distcedere, nisi causâ fornicationis. Evangelicè itaque, & Apostolicè autoritate prohibetur mulier à viro suo distcedere, nisi ob causam cunctis notissimam: qua interveniente si distcesserit, oportet eam manere innuptam, aut reconciliari viro suo. Unde datur intelligi, quòd impossibilitatem reddendi debitum non facit conjugii dissidium. §. 1. His ita responderetur. Conjugium confirmatur officio, ut supra probatum est: postquam verò officio confirmatum fuerit; nisi causâ fornicationis, non licet viro uxorem dimittere, vel uxori à viro distcedere. Verum, antequam confirmetur, impossibilitas officii solvit vinculum conjugii. Unde scribit CORR. ROM. a. Ut supra. Videtur indicari c. non dubium. Et c. cum societas. supra, xxvii. q. 1. de qua re ibi notatum est.

I. GREGORIUS Joanni a Ravennati Episcopo, [imò Rhabanus Archiepiscopus ad Heribaldum an. 853. è Germania in Galliam.] Licet mulieri alteri nubere, quam ob frigiditatem vir cognoscere non poterit.

Quòd autem interrogasti de his, qui matrimonio juncti sunt, & nubere non possunt, si ille aliam, vel illa alium ducere possit? De quibus scriptum est: [Vir & mulier, si se junxerint, & postea dixerit mulier de viro, quòd non possit coire cum ea, si potest probare per justum judicium, quòd verum sit; accipiat alium. Si autem ille aliam acceperit; separantur.] CORR. ROM. a. Joanni. Repetenda sunt, quæ sunt notata in hoc idem Caput supra, xxvii. q. 2.

II. Item ex Epistola ejusdem. [fortè Gregorius II. ad Joannem Ravennatem Archiepiscopum c. an. 725. Româ in Anniatam.]

Requissisti de his, qui ob causam frigidæ naturæ dicunt se non posse invicem operam carni dantes committere. Ite verò si non potest ea uti pro uxore, habeat eam quasi forem. Quòd si retinaculum conjugale voluerint rescindere; maneant utrique innupti. Nam si huic non potuit concordare naturaliter; quomodo alteri conveniet? Si igitur vir aliam vult uxorem accipere; manifesta patet ratio, quia suggerente Diabolo odii fomitem, exofam eam habuit, & idcirco eam dimittere mendaciter salutariter molitur. Quòd si mulier causetur, & dicit: Volo esse mater, & filios procreare, & uterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis Reliquiis jurejurando dicat, ut nunquam per committionem carnis conjuncti una caro effecti fuissent; tunc videtur mulierem secundas Nuptias contrahere posse. Humanum dico propter infirmitatem carnis eorum. Vir autem qui frigida naturæ est, maneat sine conjugio. Quòd si & ille aliam copulam acceperit; tunc hi, qui juraverint, perjuri crimine Reineantur, & penitentia peractâ priora cogantur recipere connubia.

PITH. 1. Requissisti. Citatur cap. 5. ext. de frigid. & malefic. Volo esse. c. ult. ext. de condit. appof. Quod si. &c. At potest ejus maleficiis impediri à congressu unius, non etiam aliarum.

Hoc autem servari præcipitur, cum uterque idem fateatur. Ceterum si vir asseruerit se reddidisse debitum uxori, & illa

GRATIAN. 1. Pars. Math. 19. Suprà. xxvii. q. 1. c. 10. c. 115. Anf. 1. 10. c. 26. Capit. c. 55. Ivo, p. 8. c. 80. Sent. ibid. Polyc. 1. 6. Anf. 1. 10. c. 25. Burch. 1. 9. c. 44. Ivo, p. 8. c. 182. Pann. 1. 6. c. 116. ex Greg. 2. al. ratione. Rom. 6.

GRATIAN. 1. Pars. Math. 19. Suprà. xxvii. q. 1. c. 10. c. 115. Anf. 1. 10. c. 26. Capit. c. 55. Ivo, p. 8. c. 80. Sent. ibid. Polyc. 1. 6. Anf. 1. 10. c. 25. Burch. 1. 9. c. 44. Ivo, p. 8. c. 182. Pann. 1. 6. c. 116. ex Greg. 2. al. ratione. Rom. 6.

Sup. xxvii. q. 2. quod antem. Sent. 4. dist. 24. Burch. 1. 9. c. 40. Ivo, p. 8. c. 118. Pann. 1. 6. c. 115. Anf. 1. 10. c. 26. Capit. c. 55. Ivo, p. 8. c. 80. Sent. ibid. Polyc. 1. 6. Anf. 1. 10. c. 25. Burch. 1. 9. c. 44. Ivo, p. 8. c. 182. Pann. 1. 6. c. 116. ex Greg. 2. al. ratione. Rom. 6.

GRATIAN. 2. Pars. Sent. 4. dist. 34.

illa diffidetur, qui potius fides habenda sit, merito queritur. De his ita statutum est

III. IN CONCILIO apud Compendium habito. [an. 756. in Gallia.]

In veritate viri constat, si mulier negat se cognitam ab eo.

Sent. ibid. Burch. 1. 9. c. 42. Ivo, p. 8. c. 180. Pann. 1. 6. c. 119. Si quis accepit uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipsa femina dicit, quòd nunquam coisset cum ea, & ille vir dicit, quòd sic fecit; in veritate viri constat: quia vir caput est mulieris. PITH. 4. Si quis. Citatur ex decretis in cap. 6. ext. de Despons. impub.

GRATIAN. 3. Pars. Ecce, quòd impossibilitas reddendi debitum, vinculum solvit conjugii. Sed hoc de naturali impossibilitate statutum est. Hæc autem, maleficii impedimento, non frigiditate naturali debitum conjugale prohibente, à viro suo separata est. Unde queritur, si liceat ei etiam in hoc casu à viro suo distcedere, & alii se copulare. De his ita scribit

IV. HINC MARUS 5 Remensis Archiepiscopus. [an. 860. in Gallia.]

Quid de his, qui maleficiis impediti, coire non possunt. per Sortitias, atque Maleficas a, occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, & Diabolo praconibus, concubitus non sequitur; hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato, Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram Confessionem faciant, & profusis lachrymis, & largioribus elemosynis, & orationibus, atque jejunii Domino fastidiant; & per exorcismos, ac cetera Ecclesiasticæ medicina munia, Ministri Ecclesiæ, tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech, ac domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent. Quòd si forte sanari non poterint; separari valebunt: sed postquam alias Nuptias experierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant; prioribus, quos reliquerant, etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequebunt.

CORR. ROM. a. Maleficas. In vulgatis sequebatur, artes, que vox abest à plerisque vetustis codicibus, ac ceteris Collectoriis. PITH. 5. Hincmarus. in lib. ad quæst. 23. de Matrimonio Lotharii Regis.

GRATIAN. 7. Pars. Sed in hoc videtur contrarius præmissis Capitulo Gregorii. Ibi enim post possibilitatem redditam jubetur separari ab eo, cui secundo nupserat, & redire ad primum. Hic autem vivente eo, cui secundo copulata fuerat, primo reconciliari non poterit.

AN POST SEPARATIONEM EI NUBERE VALEAT, CUM QUO PRIUS FORNICATA EST.

QUÆSTIO II.

GRATIAN. 1. Pars. Quòd autem ei, cum quo prius fornicata fuerat, post separationem nubere possit; superius probatum est. Mortuus est enim sibi vir ejus. Ex quo, judicio Ecclesiæ ab eo separata, ab ejus Lege soluta est. Unde juxta Apostolum nubat, cui vult; tantum in Domino. §. 1. Sed queritur, si sine Ecclesiastico judicio, nullâ causâ dissidii rationabiliter probatâ, ab ea distcessisset; an esset cogendum redire ad eam. De hoc ita statutum est

I. IN CONCILIO CARTHAGINENSI, cui interfuit Augustinus, cap. 30 b. [imò in Concilio Agathensi, c. 25. an. 506. in Gallia.]

Non licet alicui uxorem dimittere, nisi causâ dissidii a primam Ecclesiæ probetur.

Ivo, p. 8. c. 231. & 328. Pann. 1. 6. c. 106. Seculares ei, qui conjugale consortium nulla a graviori culpa dimittunt, vel etiam dimiserunt, & nullas causas dissidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonium dimittunt, ut aut illicita, aut aliena presumant, si antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, & priusquam in judicio damnetur, uxores suas abjecerint; a communione sanctæ Ecclesiæ, & populi cœtu, pro eo quòd solum, & conjugia maculant, excluduntur.

CORR. ROM. Etiam in codicibus manuscriptis, & apud Ivonem par. 8. c. 328. citatur ex Concilio Carthaginensi, in quo nullo inventum est, sed in Agathensi, cap. 25. (ex quo citat Ivo eadem parte octava, cap. 231.) & Capitulum 7. cap. 305. a Nulla. In recentioribus Conciliorum editionibus in Concilio Agathensi legitur, sine graviori; in Capitularibus, absque graviori: sed in antiquis editionibus Parisiensibus Conciliorum, & duobus codicibus Vaticanis, consortium graviori.

II. Item AMBROSIIUS super Lucam, ad c. 16. [an. 376. Mediolani.]

Lex Divina prohibet virum uxorem dimittere, nisi causâ fornicationis.

AN, quod in subditis nefas est, in comparem fas est? dimittis ergo uxorem quali jure a, sine crimine, & putas Pars I.

id tibi licere; quia Lex Humana non prohibet? Sed Divina prohibet. Qui hominibus obsequeris, Deum verere: audi Legem Domini, cui obsequuntur etiam, qui leges ferunt: Quod Deus conjunxit, homo non separet.

CORR. ROM. a. Quasi jure. Sic etiam in vulgatis B. Ambrosii codicibus. In tribus Gratiani manuscriptis est, quam scis vivere sine crimine.

III. Item NICOLAUS Papa Carolo Regi. [imò Ilidorus Merc. c. an. 800.]

Abque casu cognitione à viro suo dimissa, ad omnia restituetur.

Historia Ecclesiastica a ab Eusebio Casariensi Episcopo confecta, de muliere quadam, quæ pro castitate à marito accusabatur, ait. [Præceptum est ab Imperatore Lege lata, ut primo permitteretur ei rem familiarem liberè diutius ordinare; tunc demum responderet objectis. Hoc omnes Leges tam Ecclesiasticæ, quàm vulgares, publicæque præcipiunt.] §. 1. Si autem de mulieribus, & familiaribus viris hæc constituta sunt; multò magis Ecclesiasticis hominibus, & Sacerdotibus sunt concessa.

CORR. ROM. Hujus mulieris meminuit Justinus in primo Apologetico pro Christianis, & Eusebius Ecclesiastica Historie lib. 4. c. 16. Verba quidem hujus Capitis in Epistolis Nicolai impressis, aut manuscriptis non sunt inventa: sed habentur ferè eadem in præfatione Ilidori in suam Canonum collectionem. Præstat tamen Justinum, & Eusebium adire. Fortasse autem in hoc Caput translatus est titulus ex sequenti.

IV. Item NICOLAUS Papa in Epistola Carolo Regi. [an. 868. Româ in Galliam.]

Nisi post restitutionem, neque de conjugii fœdere, neque de adulterii crimine inter virum & uxorem judicium est agitandum.

Sive de conjugii fœdere, sive de adulterii crimine judicium agitandum sit; nulla ratio patitur Thiebergam cum Lothario posse inire conjugium, vel levissimum controversiæ subire certamen: nisi prius ad tempus fuerit reddita iure potestati, & consanguineis propriis liberè sociata. Itaque etiam locus providendus est; in quo nulla sit vis multitudinis formidanda; & non sit difficile testes producere, vel ceteras personas, quæ tam à sanctis Canonibus, quàm à venerandis Romanis Legibus in hujusmodi controversiis requiruntur.

CORR. ROM. Epistola ex qua acceptum est hoc capitulum, habetur Romæ in codice Monasterii Dominicanorum, & ex ea aliqua sunt addita, & emendata.

In hoc Capite quamvis videatur causa exposita, quare sua autoritate non licet alicui uxorem dimittere; qua cessante, ipsa quoque prohibitio cessare videtur; tamen quia ipsa separatio poena est, & poena nulli est inferenda, nisi per Judicem; generaliter hoc intelligendum est, ut sive ob causam præmissam, sive nulla causa existente, non liceat alicui sua autoritate uxorem dimittere. Quod etiam de poena homicidii, vel qualibet alia intelligendum est. Unde scribit

V. NICOLAUS Papa Rodolpho Bituricensi Archiepiscopo. [c. an. 864. Româ in Galliam.]

Conjugia penitus interdiciantur bis, qui suas conjuges occidunt.

Interfectores suorum conjugum sine judicio, cum non addis, adulterarum, vel aliquid hujusmodi; quid aliud habendi sunt quam homicidæ, ac per hoc ad poenitentiam redigendi? Quibus penitus conjugium denegatur, exceptis adolescentibus, de quibus est Beati Leonis Papæ xxv. a regula Decretalium, immò indulgentia observanda.

CORR. ROM. a. xxv. Hoc eodem numero habetur in codice Canonum inter decreta seu regulas Leonis.

In hoc Capite videtur Nicolaus permittere maritis, causâ adulterii, vel alterius hujusmodi criminis, uxores suas interficere. Sed Ecclesiastica disciplina spiritali gladio, non materiali criminosis ferri jubet: illo videlicet gladio, quo Petrus jubetur mactare, & manducare. De quo etiam Christus ait in Evangelio: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Hinc scribit

VI. IDEM NICOLAUS Albino Archiepiscopo. [c. an. 865. Româ in Germaniam.]

Non licet alicui uxorem suam adulteram occidere.

Inter hæc Sanctitas vestra addere studuit, si cujus uxor adulterium perpetraverit; utrum marito illius liceat secundum mundanam Legem eam interficere. Sed sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam confringitur Legibus: gladium non habet, nisi spirituale: non occidit, sed vivificat.

VII. Item PIUS Papa. [fortè c. an. 158. Roma.]